

II.

REGNUM MORTUORUM.

Nro. 53.

*Secretum litterarum Commercium inter Vivos
et vita functos.*

Ad Charontem.

Ex mundo superiore.

Elysium-Meum. Die Veneris. 3. Aug. 1810. (Neov. 13. Jun. 1810.)

Verumne est Charon! Romulum a te per Stygiam haud vestum paludem? Primus hic Romanus Rex a Senatoribus trucidatus non comparuit posthac amplius, plebsque milesque indignabatur — cum Proculus quidam cum stoa digna gravitate in medium prociens, hanc declamaret fabulam:

Quirites! princeps, quem deploratis, nequaquam mortuus est. — Coelos ille petiti, adsidet Tonanti. — I, dicebat ad me, Civibus tuis tranquillitatem adfer, Romulum genium eorum futurum præaunoi.

Ergo Romulum trans libitinam non vehebas? solve mihi, si potes, hoc ænigma, in vicem obsequii litram naulumque pinque & pretiosam recipies, tres dignitate & nomine eminentissimæ personæ violentis fatiſ orbabe decessere, para, præpara veterem cimbam tuam, obtestare Zephyros: ut leatet sam

provehant, exorna Cupresseis frondibus, & aristibus ornamentis, aut potius meliore spe decora. — Fata quæ Parcæ texunt irrevocabilia sunt, parum refert citius aut serius aliquanto decedamus, via semper eadem tenenda & terenda est, discrimen nullum est in universali rerum mutabilitate. — O cunctos traducis, reduis neminem! —

Solare hac veritate venerandos, qui oibam tuam ingrediuntur, æternas beatorum trajecturos sedes, Manes — lente & molliter remus movendus, ut cimba leni feratur cursu, ne eorum virtutes commoveantur.

Sed juvat 3 illas, quas traducendas habebis personas tibi notas reddere, ne forte moroso eas, qui senibus mos est, vultu sed pro dignitate reverenter & comiter excipias, atque quod te non parum tenet, nauli ut amplitudinem æstimare valeas.

Prima Umbra.

Dominus Affry.

Ludovicus ab Affry anno 1743 Friburgi in Helvetia primam lucem aspexit. Anno ætatis decimo Parisios delatus educationis persequendæ causa. Plures antenatorum ejus Gallicis in stipendiis inlustruere, gloriam nominis fortunæque adepti. — Quidam Franciscus ab Affry acie ad Quastalliam Anno 1734 occumbens anterioribus in proeliis per bellicam virtutem ad Generalls Locumtenentis dignitatem eluctatus Erumpente Bello revolutionali Gallico quidam Comes ab Affry

æque Generalis Locumtenens Colonellus Regiæ Helveticæ Turmæ prætorianæ erat. — Dum Anarchia quasvis militares Cohortes solveret, aut in periculosam perturbationem cogeret, hinc vir erat, qui legionem suam in fide Regis conservare, a dominante fanatico spiritu præservare, & Ludovico XVI. diebus 5 & 6. Octob. 1789 unitha graviaque servitia præstare. Sors ejus sub decursu revolutionis propudiosa præorsus erat. In Abbazia vinculis coercitus, parum aberat, quin furor Septembristarum ita distortum, ab iis ad cædem destinatus, victima occiderit. — Vidit die 10. Aug. 1792. occasione assultus in Tuilleries facti filium peremptum, ipse oppetit mortem paullo post annum, provectæ ætatis, ærumnis cooperatus, animi potius, quam corporis ex mortuo.

Juvenis Ludovicus ab Affry æque legioni Helveticæ Prætorianæ turmæ adscriptus anno 1758, in ea adhuc merebat anne 1792 dum ea dissolveretur. — Erat eotum Campi Mareschallus & Commendator ordinis Ludovici. Restitit lares patrios, in quibus revolutio erupit, nomen ejus delitescere, a nulla factione pronunciabatur, ut que dum Napoleo Bonaparte primus eotum Con ul in Novembri 1802 Helvetum Collegium (Consultam) Parisiis accivisset, cujus Deputatis & Affrys continebatur. — A Napoleone honorifice exceptus, cum quadam prærogativa, Præfæctus (Landemannus) creatus reipublicæ; Constitutionem novi foederativi Status, quæ hodie

tenat, traditam accepit. — Affry singulari plenus cum rerum gerendarum potestate instructus in Helvetiam reversus, præscripta Lege Intermediationis in effectum deduxit.

Danno elapso legitimo quinquennio idem munus Anno 1809 gessit communi Civitatum Helveticarum adversu, patriæ libertas tranquillitasque ei erat potissima, Civium & Contribulium suorum salus omnibus carior. — Nemo merito debitum præstabat illo lubentius; nemo detestabatur, abominabatur curæ depascentem factionum furorem magis illo. — Plenus mitis placidique sensus negotia moderatus, ea tamen cum energia, quæ bonum egerrinare juvat, quia resistente indignantium odio incrustet. Pollebat amore universæ Helvetiæ, æstimationi fuit curctis, metui nemini — quo factum; ut sincero & profundo dolore præclarissimum Civem Politicumque prosequeretur.

Anno 1810 mense Martio a Præfectori-publicæ D, a Wattewyl Parisios expeditus ad vobis Helvetiæ potenti suo Protectori pro imminente conjugio cum Cæsareo Regia principe Austriaca delaturus. Commoratio ejus in metropoli Imperii diversis ex adjunctis prorogata. Die 25. Junii primum Friburgum rediit, interea Status foederati ad Comitiam jam Bernam convenerant, cupidi quid relaturus esset excipiendi.

Verum inanis erat expectatio! — Altera ab adventu in patriam urbem die, quo sero adhuc Vespers hilaris in medio familiarium

conversabatur, valetudine tentari coepit, sanguine aliquot vicibus ejectione moribundus in sinum dulcis conjugis proruit. — Die 29. Junii solenni funereo adparatu elatus. — Conventus foederat, plures deputatos ablegavit, pompæ funeræ interfuturos, tristiquè spectaculo; lacrimisque & plandibus piæ Conjugis gemitus moestæ univærse patriæ immisturos. Nunquam solemnior funeris adparatus feretrum Helvetæ ornavit, raro communis id genus luctus & comploratio fuit. —

Altera umbra, quam transvehes, est Comes celebris Sveciæ

F e r s e n.

Non dubito: te pro tua novorum curiositate tristia viri hujus fata in Ephemeridibus legisse, aut ex advenis intellexisse. — Erat is rerum potente Ludovico XVI. Parisiis erumpentis ipso fatalis revolutionis tempore, Inevitabilis fatorum vis! Excessit Gallis declinaturus Scyllam — tumulus furorem — & incidit in charybdem in patria — in furorem æstuantis plebis! — hic lapsus ei prædestinatus erat. —

Genus Fersen vetustissima est, oriunda ex Pomerania — Joannes Wolthisen a Fersen anno 1475 ab aliquot Equitibus Magister Turmæ equestris in Livonia electus, tum a D. Burg per aliam factionem ad hanc dignitatem evectus, perpetuo Carceri inclusus est. — Soror occisi prudentia, sagacitate, & rerum gerendarum dexteritate famosa Comes Piper — defunctus erat ex opulentissimis Sveciæ Dy-

nastis — 24 pastores ejus Collationi sube-
rant — prædia ejus in Finnia sita — res hor-
rida est meminisse: bonum cæteroquin Sve-
ciæ populum dolorem luctumque de Coronæ
sue hærede cruenta cæde notavisse.

Tertia, quam excepturus es, umbra est
Domitæ Principis — tam sexu, quam in ra-
tione matris hoc dignæ nomine. — Est ea
eximium sexus sui decus, nullusque ambigo
ejus quoque historiam ad aures penetrasse
tuas. —

Paulina

Conjux celsissimi Principis Josephi a
Schwarzenberg, filia Principis ab Artemberg,
dehele utriusque gentis, exemplar maternæ
solicitudinis — 8 numerabat proles, nonam
quartum in mensem gestabat in utero. Cer-
nes illustrem animam, omnibus radiantem
virtutibus. In medias se se, periculi imme-
mer, præcipitem egit flammis, dulce pignus
ereptura! —

¶ Sunt: qui temerariæ victimæ arguunt,
at ego omnem teneri amoris, quo matres
sobolem complectuntur, sciam genitricem ad-
pello, — quæ frigido animo expendens, pro-
lem voraciæ flammæ spoliū velinqueret? O
Charon! narra hanc tragicam scenam mater-
næ dilectionis cunctis bonis matribus vestras
oras incolentibus, in quibus, si aliqua repe-
ritur, quæ tam diro percussa casu rationes
periculi subducendo est, dic eip bonæ matris
laudem non ferre. — Amor bonæ matris in
sobolem suam transcendit quævis molimina

heroica — & quæso: an heroicus animus periculum ullum nescit? — Mors hujus principis perenne monumentum erit materni in liberos amoris — non Pario insculptum marmor, sed omni ære perennius quarumvis matrum Cordibus infixum.

Atque hæ sunt infernalis navita! excelsæ, quas transvehendas habebis, Umbrae.

Immaterialitas animæ.

Nihil immaterialitate *vis videndi* evidentius — quippe ea nec longa, nec lata, nec profunda est — ut etiam — amabo — ens compositum partibus videre posset? id partibus constans esse deberet, quarum aliqua videntis entis aut una solum, aut aliqua aut nulla pro se & sola videt, — si quævis & singulae facultate videndi pollent, ergo plura habentur videntia Individua, at ego video semel, sed non pluries. — Si nulla pars pro se ipsa videre potest, omnes coecas esse oportet, ut vero ex coecis partibus totum videns confieri potest? — Ex facultate videndi argumentum ducatur *ad animam*, & ejus immaterialitas apodictice demonstrata est!

Hodiernum librorum commercium.

Ex quo tempore boreales regiones bello Borussiae factis horribilibus a Romanensium fabellarum lectione & scriptione avocatae sunt, & hic Commercii articulus inter obsoletos, quos Bibliopolarum lingua Maculaturam vocat, refendus est. — Jam rationi excedendum posthac amplius non est — ergo merces vetita. — Sit ita! — recursor emit librum, eum-

que iterum imprimat — editori juxta & auctori damnum inferens, is ad *recusantem* defertur, qui non obtento honorario, interdicat operi, & auctori, editeri recussorique damnum infert. — En! quousque Nemesis manum extendit! ut unus alteri damno, atque sit exilio! —

Charon

Secundum Mithologiam erat Erebi & noctis filius, animas defunctorum per infernales fluvios vehens. — Cum pro hoc servitio mercedem exigeret, factum est, ut linguæ frustum monete subjiceretur ad ejus cupiditatem exsatiandam. — Cæterum Charon lingua Aegyptia nautam designare perhibetur.

Charon (Charondas Ludov. le Charon) celebris erat Parlamenti advocatus, plura opera edidit & 1617 ætatis 79 obiit.

Charondas Catana Siciliæ ortus, celebris legislator urbium & Civitatum Italiæ inf. & Siciliæ. — Mortis poenam is eos statuit, qui armatis ad Conventum venerit, quod cum ex inopinato ipse ageret, mox ense pectori infixio de se poenam sumpsit. — Fragmenta ejus legum reperiuntur apud Diodorum Siculum. —